



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE VIII. JULII.



Utetia, Parisiorum a. d.
12. Junii. Nudius ter-
tius rursus vnum ex
famosa illa Cartou-
chii cohorte capitis
damnatum ad mor-
tem ducti vidimus,

qui cum satis intelligeret, nullam am-
plius esse veniæ spem, ultimoque se jam
affectum iri supplicio, detexit vbi locorū
nequissima huius generis hominum la-
teret colluies. Quo facto, missi statim
fuerunt, qui sedulo homines sceleratif-
simos specularentur; nec irrita conatu,
plurimos enim comprehensos vinculis-
que constrictos mox adduxerunt, in his
aurifaber quidam fuit, cuius peruulga-
tum apud nos erat nomen. Remensis
nuper electus Episcopus, Argentorati
hucusque commoratus in hanc reuertit

urbem, sequenti post accessum die ad
regem pariter ac ducem Aurelianensem
accedens, benigne comiterque fuit ac-
ceptus. Quem Marsilia vrbs, eo tem-
pore, quo exitiali quassata fuit peste, ha-
buit præfectum, illum rex ad nos redu-
cem factum, ob egregia in Rempubliam
merita, lautiore donavit munere, an-
nuamque simul, quæ ipsi, quoad vixe-
rit, debetur, constituit pensionem,
Futura die Lunæ rex vna cum regina pa-
latium Thuillerianum, in quo adhuc
vixit, relinquet, Versaliam petiturus,
quorsum iam custodes corporis sunt
præmissi. Quando vero regem ad nos
reducem visuri simus, nemini adhuc est
exploratum; sunt tamen, qui non prius
illum reuersurum existimant, quam-
imperio fuerit initiatus.

*Alia, a. d. 19. Junii. Superiori hebdo-
made*

made die Jouis Rufforum orator Magni Ducis natalem solemniter prosequutus est, multosque viros principes ac foeminas lautissimis excepit epulis. Cum nuper rex christianissimus in saltu Bononiae proximo feras venaretur, foemina quaedam, militum illorum, quos ex Heluetiis rex conductos habet, praefecti coniux ad pedes regis prouoluta, marito, qui centurionem ex legione Aurelianensi grauer vulnerauerat, veniam implorauit impetrauitque. Qui Bauariae *Electoris* apud nos rebus inuigilat, *Comes* ab Albert, litteras a cursore extraordinario allatas accepit, quibus ei nuntiatur, consensisse tandem Romanorum Imperatorem in foedus matrimonii principis *Electoralis* Bauarici, & serenissimae Archiducis, Josephi Imperatoris filiae natu minoris. Quam ille rem laetissimam, ex mandato *Electoris*, Regi nostro protinus nuntiauit. *Comes* de Lescherene, vicarius copiarum regni Dux, anno aetatis quadragesimo octavo vitam cum morte commutauit. Proxime praeterlapsa die Lunae, hora post meridiem tertia, Rex Christianissimus, relicto palatio Thuilleriano Versaliam se contulit. Erant in eius comitatu in primis Dux Aurelianensis, Dux Carnutensis, Dux Borbonius, *Comes* Claramontii, & Villaregius summus copiarum regiarum Dux. Currum, quo Rex vehebatur praecedebant turmae aliquot illorum equitum, qui ex nobilibus lecti regisque custodiae sunt destinati sequebantur autem quibus perpetua corporis custodia demandata est. Cum nondum esset hora sexta Versaliam fuit peruentum, ubi regem adventantem, populus, qui maxima frequentia concurrerat, festiuis excipiebat acclamationibus. Vbi ad Sacellum pertigisset rex, ex curru exscendens, preces suas in eo peregit, iisque

pie peractis in conclaue suam se recepit. Inde mox in hortos deambulandi causa profectus, & ad horam vsque octauam in iis commoratus est. Nudius tertius Regina Infans, eodem se recepit, quam Rex vti decuit acceptam, in conclaue, quod illi paratum est, deduxit. Secuti etiam eo sunt Regem, Dux Berovicensis atque *Cardinalis* Boissius, qui consilia quotidie, quam diligentissime conferunt de rebus magni momenti, quarum curam a rege eis demandatam esse ferunt, sed quae illae sint, nemini adhuc potuit innotescere.

Londini, a. d. 12. Junii. Quamuis nefandae seditionis auctores summo studio occultarint consilia, mira tamen felicitate illorum vnum nomine Areskium, inter factionis principes non postremum deteximus, qui iam comprehensus in vinculis tenetur Edenburgi; nec dubitamus quin et reliquos seditionis auctores pari capturi simus felicitate, vt debitas scelerum, quae moliebantur, luant poenas. Valliae Princeps singulis fere diebus armatorum tam equestrium quam pedestrium, etiam habere solet delictum. Copiis, quae apud nos merentur stipendia, id negotii est datum, vt in quatuor separatis regni huius locis castra ponant, ibique stantia habeant, cuius quidem rei varias multi existimabant esse causas, vero tamen videtur simillimum, ideo id fieri vt seditionum hominum conatibus obstant, & ne vis quaedam repentina existat, prohibeant.

Alia indidem, a. d. 16. Junii. Superiori die mercurii palatium Sommerfetti Ducis inopinato satellitibus omni ex parte cinctum fuit quod postea quidam a rege missi quam diligentissime perlustrarunt, fama enim erat, nonnullos, qui Equitis Georgiani rebus student, eodem se continuisse, nemo tamen, in quem

suspicio illa cadere potuisset, fuit in-
uentus. Die 12. mensis præsentis Rex
noster Kenfigtoniam se contulit. Die
vero sequente complures Scotici proce-
res, quos Pares vocant, cum Duce Ar-
gileo ex Scotia huc aduenerunt, qui
omnia nunc pacata esse in regno Scotiæ,
ac pro inde famam his proximis tempo-
ribus multa fuisse mentitam adseuerant.
Id tamen certum est, complures in An-
glia magnates cum principibus exteris
colludere, dolosque, quibus regi no-
ceant, commoliri; & licet nonnulli ex
eorum numero comprehensi iam sint at-
que in vincula coniecti, nullum tamen
a rege, propter seditionis suspicionem,
morti adiudicatum iri adfirmant. Cum
nudius abhinc tertius Fieldingius præ-
toriæ cohortis ductor, nocturno tem-
pore, curru vectus, in castra, quæ in
uiuio Heyde-Parc dicto posita sunt,
proficisceretur, in latronum incidit in-
sidias, qui ei aureos quos secum habebat
quadraginta geminatos, *Guinees dictos*,
horologium item portatile, atque gla-
dium, quo cinctus erat ademerunt.

Posonii, a. d. 8. Julii, Augustissimus
Romanorum Imperator, Rex noster in-
dulgentissimus, ad publica Regni Co-
mitia die hesternâ feliciter iam accessit.
Ita vero ab Inclytis Regni statibus ac
Ordinibus fuit acceptus.

r. Illustrissimus ac Reverendissimus
Episcopus Agriensis, *Comes* Gabriel An-
tonius Erdôdius, cum quamplurimis
Inclyti Regni Statuum ablegatis, Impe-
ratorem Augustissimum Farkas. salvæ
prudentem, publico omnium Regni
Statuum ac Ordinum nomine, saluta-
vit. Quorum ablegatorum nomina se-
quens exhibet catalogus.

Ex Magnatibus & Baronibus fuere.

Illustriss. *Comes*, Gabriel Antonius Er-
dôdi Episcopus Agriens.
Comes, Joannes Dráskovits.

D. Episcopus Ladislaus Sze-
renyi.

Comes, Franciscus Eszterházy
Senior.

Comes, Carolus Zichy.

Comes, Joannes Eszterházy.

Comes, Ladislaus Erdôdi.

Comes, Sigismundus Secsény.

Comes, Franciscus Károly.

Baro, Josephus Czékáky.

Baro, Johannes Szentivány.

Ex parte Inclytorum Statuum Croatia.

D. N. Malenics.

Ex Inclyta Tabula Regia.

D. Martinus Szeleczky Vice-Judex Cu-
riæ Regiæ.

D. Franciscus Sigrai, Præsentis Regiæ
Protonotarius.

D. Sigismundus Palugyai, Tabulæ Re-
giæ Judiciariæ Assessor.

Ex parte Regni Croatia.

D. Adamus Oresky.

Ex Venerabili Clero.

D. C. Adamus Acsády.

D. Joannes Nozdrowiczky.

D. Sigismundus Kenyersperger Zagrabi
Venerab. Capitulum ablegati.

Ex Inclytis Statibus.

D. Casparus Farkas, Posoniensis.

D. Stephanus Vayai, Nitriensis.

D. Adamus Tallian, Castriferrei.

D. Casparus Hrabowsky, Trencsiniensis.

D. Michaël Nedeczky, Comaroniensis.

D. Adamus Niczky Szaladiensis.

D. Christophorus Fesetics, Simigiensis.

D. Paulus Raday, Neogradensis.

D. Joannes Fiath, Jaurinensis.

D. Joannes Roth, Soliensis.

D. Antonius Hunyady Barsiensis.

D. Stephanus Tarrody, Tolnensis.

D. Paulus Paszárdy, Baranyaiensis.

D. Adamus Zichy, Báciiensis.

D. Franciscus Palásdy, Abbaujvariensis.

D. Thomas Szirmay, Sarosiensis.

D. Georgius Nébest, Gómóriensis.

D. Joannes Almáffy, Borsodiensis.
 D. Martinus Vifaludi Békesiensis.
 D. Emericus Páztory, Csongradiensis.
 D. Stephanus Lengyel, mediocris Szolnokiensis, Inclytorum Comitatum ablegati.

Ex Tabula Dominorum Magnatum.

D. Georgius Szeremley, Excell. Comitis Bottyaniæ, Jud. Curia Reg. vid.
 D. Stephanus Sitkowsky, Excell. Comitis Czoborianæ.
 D. Josephus Bezeregy, Comitis Leopoldi Palffy viduæ.
 D. Ladis. Sigray, Magnificæ ac Gen. Domina Gillanianæ.

D. Joannes Jessenak, Domini Venceslai ab Althaim ablegati.

Ex Liberis, Regiis & Montanis Civitatib.

D. Ioan. Baptista Rott, Budensis.
 D. Georgius Lada, Gintziensis.
 D. Tobias Schneider, Schemnitziensis.
 D. Samuel Krassai Eperie. Civit. ablegati.

Omnes hi, cum Illustr. ac Reu. Comite atque Episcopo, curribus sejugibus vehebantur. Post salutationem ad osculum manuum admissi, ordine, quo venerant, redierunt.

2. Hora circiter tertia, Status ac Ordines Regni, ad tentorium prope, fossam, quæ Aufriam ab Hungaria determinat, exstructum, maximo numero confluxere, ubi cohors cataphractorum ex legione Hohenzolleriana, studiosissime ornata excubabat. Hora autem quarta, turma prætorianorum militum Kôprensio aduenit, atque ex altera tentorii latere ordinata constitit.

3. Imperatorem Augustissimum inter clangores tubarum ac tympanorum hora media sexta advenientem, Prælatus, cum cruce aliquot passus obuiam procedens, vna cum Augusta sub tentorium introduxit, Eminentissimus autem *Cardinalis* de Saxonia oratione elegantissima salutavit. Postea ad osculandas manus admissi fuerunt Magnates, quo

tempore tormenta in arce & vrbe primum fuere displosa.

4. Eminentissimus *Cardinalis* de Saxonia cum Ven. Clero, aliisque quam plurimis Regni proceribus, in arcem præcesserunt, Imperatoremque ad Gradus maiores prope oratorium sunt præstolati.

5. Imperator hora 7. ex tentorio egressus, equum conscendit plurimisque Aulæ ac Regni proceribus stipatus, maxima pompa ad urbem, vna cum Augusta coniuge, curru splendidissimo vecta, accessit.

6. Ad Portam Vedericianam ubi vrbis Magistratus constiterat, Imperatorem Consul latina, Augustam vero, D. Hueber, Senator ac Vice-Notarius germanica oratione salutavit.

7. Inde Postea per plateas, quæ ad portam S. Michaëlis ducunt, inter medios civium ordines profectus est Imperator Aug. ad arcem vsque, ubi decantato in facello Hymno Ambrosiano, omnes, qui Imperatorem stipauerant, ordine decenti ad hospitia sunt reuersi.

Nobis Imperatorem Augustissimū Regemque indulgentissimum ad limites Hungariæ accedentem hoc pio voto profequi visum est

Ingrederere has clemens Rex Augustissime Terras,

Vivat ad ingressus Pannonis ora Tuos.
 Nec dubitamus Numen æternum preces nostras exauditurum, quin potius pleni fiducia exclamamus porro
 Cur redit Hungaricum CAROLUS Rex noster in Orbem?

Omnia quo redeant, quæ perire prius.
 Hodie Imperator Augustissimus, Statibus Regni congregatis postulata sua, (propositiones vocant) ritu solemniori, quem nuper in *Directorio* descripsimus, nota fecit quæ iam tempore pomeridiano in publica dictatione euulgabuntur.